



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Alia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

## A L I A.

**C**Ogitanti mihi nonnunquam varios illos honorum gradus, per quos sapientissimi Majores nostri Theologiæ Candidatos ad supremum Doctoratûs apicem ascendere voluerunt, contigit admirari non abfimilem ordinis illius imaginem, quem auctor naturæ in ipsâ tempestatum varietate ac vicissitudine tam sapienter instituit.

Præit reliquis anni temporibus gratissima Veris amenitas; & admirabili florum pulchritudine, quos parturit, ad futuræ mox ubertatis lætissimam expectationem exsuscitat. Ita cæteros ad honorum titulos recludunt aditum prima Baccalaureatûs insignia; quibus Candidati, quotquot decorantur, suavissimis, quos explicant ingenij eruditionisque floribus, orituram postmodum copiosissimæ doctrinæ segetem prænunciant.

Veri succedit æstas, per quam ardentissimis solis caloribus natura tota incenditur, promouentur segetes, fructus maturescunt, terra suas opes ubique pandit & ambitiosius ostentat. Quid ad Theologiæ Licentiæ labores, qui Baccalaureatum subsequuntur, repræsentandos accommodatus est? quo tempore fervent imprimis disputationum æstus, acuuntur ingenia, mens eruditur, ditescit memoria, & magnificus per singulos dies maturæ jam ac perfectæ eruditionis apparatus, mirantibus sacræ Facultatis oculis atque animis exhibetur.

Æstatem Autumnus occupat, optatissima ante alias omnes anni tempestas, quæ strenui ac diligentis



gentis Agricolaë pensat labores, vota cumulat, gratissimis cujuscumque generis opibus præteritam egestatem gratulatur. Tam expectata nobis omnibus, post dura longissimi curriculi tædia, sacra Doctoratûs laurea contingit, quæ priores levat molestias, cupidum ingenuæ laudis animum exfatiat, conciliat ubique nomen ac famam, & ad quemlibet deinceps dignitatum apicem viam aperit.

Restat anni pars ultima, per quam partis licet frui vitæ bonis cum otio, quod nulla sævientis frigoris acerbitas perturbat. Sic reliquo vitæ tempore Laureæ suæ in umbrâ Theologiæ Doctor conquiescit, & quantumvis sæviant fata, suavissimum habet in suâ dignitate solatium pariter ac subsidium. Gratulare tibi, N. Quodcumque in hoc, quod decurrimus, stadio gravius occurrit, jam emensus es feliciter; una superest laboriosa contentionis merces ac compensatio, digna ingenio tuo, digna eruditione merces, quam adeptus brevî expertem ab omni sollicitudine plenamque nobili otio tranquillitatem experieris.

---

### A L I A.

**Q**Uàm dissimile stadium illud est, quod decurrimus ab eo, quod ambitiosum hominum genus Olympicis in ludis ingrediebatur. N. Illi difficilis cursûs eâ conditione tentabant aleam, ut, cum plurimi certarent simul, unus ex omnibus periculosi certaminis præmium ferret. Nos, si longiorem fortè difficiliorémque campum subimus, saltem ea spes manet, de futuram nemini, quam ambimus omnes, assidui laboris

ris